Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 31

Quelle:
Copyright:

lium. Fuit *Stephanus* iſte *Cantuarienſis* Epiſcopus mortuus anno 1228. commentatus in plurimos Libros Veteris praecipue Teſtamenti, ut habes apud *Caveum* et *Oudinum*, unde poſterum quis facile ſpicas ejus *Hugonianae* meſſi miſcere potuit, ut pluribus Gloſſarum corporibus accidit. Codicem noſtrum terminat nota illa *Interpretatio hebraicorum nominum.*

XIX.

C. 938 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 717. 4. min. per duas columnas minutius, ſed nitidiſſime exaratus, coloribusque diſtinctus, olim, ut ad calcem notatur, *eccleſie ſancti monaſterij ſancti michaelis in antuerpia*, quod eſt Collegium *Praemonſtratenſium* ab ipſo S. *Norberto* fundatum, dein nobilis Parthenonis, qui *Halae ad Oenum* floruit, continet ſacra *Biblia V. et N. T.* cum ſolitis *Hieronymi* Praefationibus, et Librorum Argumentis. L. II. *Paralip. fol.* 242. p. 2. adſcripta eſt absque titulo, aut intervallo *Oratio Manaſſis*, huicque per errorem minio ſubjectum: *Explicit neemias.* Rurſus ad calcem *Libri Nehemiae* ſive II. *Esdrae* notatum *fol.* 255. p. 2. *Explicit primus liber esdre. Incipit liber ſecundus esdre*, qui tamen eſt *Tertius* ille apocryphus. *Pſalmi fol.* 297. p. 2. audiunt *Liber hymnorum uel ſoliloquiorum. Machabaeis* praefixi ſunt Prologi *Rabani* ad *Ludovicum* R. et *Geroldum* Archidiac. *Fol.* 658. I. *Job.* c. 5. ad teſtimonium terreſtre omittitur το: *Et hi tres unum ſunt.* In fine accedunt notae *Interpretationes hebraicorum nominum.*

XX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1108 XIV. Folior. 370. 4. min. perquam nitide, ſed lyncibus ſcriptus columnis duabus, diſtinctus coloribus, et quondam, ut praefert, *S. Vdalrici Auguſtae*, quod O. S. B. Coenobium eſt, comprehendit *Sacra Biblia* Verſionis vulgatae, ſine *Pſalterio*, nec adſunt ubique Praefationes *Hieronymi*, ea, quae in *Jobum* eſt, ad calcem hujus Libri ſcripta. Cetera rite procedunt. Nullus *Liber III. Esdrae*, nulla *ad Laodicenſes Epiſtola.* Teſtimonium duplex I. *Job.* c. 5. a prima manu exactum eſt. Accedit ſolita Interpretatio Vocum hebr. et graec. et currente calamo adjectus Index Epiſtolar. et Evangelior. per annum, ſive *Lectionarium.*

XXI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3146 XIV. Folior. 510. 4. min. per duas columnas minutiſſime, ſed nitide perſcriptus, coloribus diſtinctus, et initiis omnium Librorum adfabre picturatus Sacra *Biblia* vulgatae interpretationis, ordine conſueto, Prologis *Hieronymianis* et ſolitis Argumentis inſtructa continet, excepto *Pſalterio.* Adeſt *Esdrae Liber* III. ſed in margine rubrica *Apocriphus* con-